

Sed ab Heraclide Senatore Magnentianæ factionis fautore, facta prodicione, simulans velle cum eo loqui, obtruncatus est, capite palo fixo per Urbis itinera deportato, cum imperasset dies xxx.

Aereus hic Numus ex altera parte repræsentat mulierem stolatam, Trophæis insidentem, dextra Victoriolam alatam, sinistra hastam tenentem, adiecta inscriptione: ROMA FELIX. Infra: ✕ & ☽



CONSTANTIVS tertius frater, in diuisione Imperii, cum ei attributus esset Oriens, morte Constantis intellecta, ulturus eius cadem, Gallum patruelem Cæsarem fecit, & Orienti præfecit. Ingenti exercitus aduersus Magnentium comparato, memorabili illum prælio ad Murtiam fudit, quo Romani vires Imperii penè concidere, LIII. milibus vtrinq̃ desideratis. Mox cum Magnentius bellum reparasset, ad Lugdunum iterum eum vicit. Gallum à se antea Cæsarem dictum, ferocientem & insolentem supra Cæsaris nomen, interfecit, ac solus rerum omnium potitus est. Tyrannos vndique oppressit, ac contra Persas sapius infelicitè conflixit stultitia fuorum militum. Quibus ad sua abeuntibus, cum Romam cum Ormisda regis Persarum filio inuisit, Iulianum Galli fratrem, tres & viginti ætatis annos agentem, Cæsarem fecit, sorore sua Helena ei in matrimonium tradita: Eumque in Gallias aduersus Alemannos eas tunc vastantes, cum paucis equitibus misit. Qui re feliciter gesta, cum Imperator ab exercitu esset appellatus, de eo certior factus Constantius, aduersus Iulianum exercitum misit. Sed febre correptus, vsq; ad radices montis Tauri lectica vectus, peruenit, ibique apud Mopsocrenem febre intrinsecus exurente, quam indignatio nimia vigiliis augebat, decessit anno Imperii xxxiiii. ætatis xli. Princeps felix bellis ciuilibus, externis lacrymabilis, mirus artifex in sagittis iaculandis, à cibo vinoque, & somno multum intemperans, patiens la-